A

Ex legato Dñi Equitis Antonii
[illegible] de [illegible]

CI

PETRI LAMBECII HAMBURGENSIS
AD
SERENISSIMUM CELSISSIMUMQUE
PRINCIPEM ET DOMINUM,
DN. AUGUSTUM,
BRUNSVICENSIUM
AC LUNEBURGENSIUM
DUCEM,
EPISTOLA
DE
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ
CÆSAREÆ VINDOBONENSIS
CODICIBUS MANU-SCRIPTIS,
QUI
ADORNANDÆ NOVÆ OMNIUM
FLAVII JOSEPHI
OPERUM EDITIONI GRÆCO-LATINÆ
POSSUNT INSERVIRE

VINDOBONÆ,
Typis Matthæi Cosmerovij, S. Cæs. Maj. Typographi,
A. CIↃ IↃC LXVI.

PETRONIVS ARBITER
IN NERONIANÆ VITÆ SATYRICO:

QVID NON COMMVNE EST,
QVOD NATVRA FECIT OPTIMVM?
SOL OMNIBVS LVCET:
LVNA, INNVMERABILIBVS COMITATA SIDERIBVS,
ETIAM FERAS DVCIT AD PABVLVM.
QVID AQVIS DICI FORMOSIVS POTEST?
IN PVBLICO TAMEN MANANT.

SERENISSIMO CELSISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, DN. AVGVSTO, BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM DVCI,

PETRVS LAMBECIVS HAMBVRGENSIS, J.V.D. ET S. CÆS. MAIESTATIS CONSILIARIVS, HISTORIOGRAPHVS, AC BIBLIOTHECARIVS, SALVTEM ET PROSPERITATEM PERPETVAM.

Sereniſſime Celſiſſimeq́ Princeps,
Domine Clementiſſime:

Cùm die *quinto* ſuperioris menſis *Julij* à S. Cæſ. Majeſtatis privato colloquio circa horam quartam pomeridianam ex Aulâ domum reverſus eſſem, accepi præter ſpem Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ literas, quarum argumentum: Virum Clariſſimum Dn. *Joannem Andream Boſium*, Hiſtoriarum in Illuſtri ad *Salam* Academiâ

miâ Professorem publicum, novam adornare omnium *Flavij Josephi* Operum editionem Græco-Latinam, ideoq; & Serenitati Tuæ gratissimum, & Rei Literariæ utilissimum fore, si à S. Cæs. Majestate impetrarem, ut clementissimo Ipsius permissu antiqui *Codices Manuscripti*, qui ad hoc propositum pertinentes, in *Augustissima Bibliothecâ Cæsareâ Vindobonensi* adservantur, collationis causâ jam memorato Dn. *Bosio* transmitterentur. Scripserat eâdem de re jam anteà ad me ipse *Bosius*, & hoc à me tulerat responsum, lubenter quidē me concessurum, ut Codices illi vel in ipsâ *Bibliothecâ Cæsareâ*, vel domi meæ ab aliquo, cui is laborem hunc demandaturus esset, cùm impressis editionibus accuratè conferrentur, & variantes inde excerperentur lectiones, transmissionem autem ipsorum Codicum non esse in meâ potestate, nec à S. Cæs. Majestate facilè impetratum iri, quòd Illa hujusmodi antiquos *Codices Manuscriptos*, tanquam præcipua Bibliothecæ Suæ cimelia, plurimùm diligeret, nec ignoraret, quàm esset periculosum, longinquis eos committere itineribus: verùm enimverò, posteaquam Serenitatis Tuæ accepi literas, statim animadverti, tantæ autoritatis commendationem apud S. Cæs. Majestatem etiam in re vix ægrè impetrabili plurimùm ponderis habituram esse. Hâc igitur spe fretus, adij sequenti *die sexto Julij* benè manè Palatium, & priusquam CÆSAR alijs occuparetur nego-

negotijs, occasione valdè opportunâ S. Ipsius Majestati Serenissimæ Celsitudinis Tuæ epistolam demississimè exhibui. Quam cùm tàm pro singulari ergà Serenitatem Tuam benevolentià, quàm ex incredibili erga Rem literariam affectu cupidissimè pariter atque clementissimè perlegisset, & desideratam Codicum transmissionem non tralatitiâ diligentiâ suadenti mihi perbenignas præbuisset aures, subsecutum est, uti speraveram, optatissimum hoc responsum, *placere* SIBI, *ut Serenitatis Tuæ desiderio quamprimùm satisfieret, eâ tamen lege, ut & in transmittendis illis Codicibus tuta adhiberetur ratio, & de ijsdem intra certum tempus bonâ fide restituendis idonea præstaretur cautio.* Quod itaque superest, mitto nunc omnes in *Augustissima Bibliothecâ Cæsarea* hactenus à me inventos *Flavij Josephi Codices Manuscriptos*, tàm *Latinos*, quàm *Græcos*, ut Serenissima Celsitudo Tua eos primò contempletur proprijs oculis, posteà autem ad Cl. Dn. *Bosium Jenam* curet transferendos, ijs conditionibus, quæ formulâ Syngraphæ hisce literis meis inclusâ continentur. Codices in universum sunt septem, quorum

Primus,

INter *Historicos Græcos* Manuscriptos *decimus quintus*, chartaceus est, & continet *Judaicarum Antiquitatum libros viginti,* sed abbreviatos, & passim in-

interpolatos. In principio mutilus eſt; utpote qui incipit ab his capitis *decimi tertij libri primi* verbis: Μώσιον ὄρος ἀναγαγόντα ὁλοκαυτῆσαι. In fine partim à blattis ac tineis eroſus, partim aquâ marinâ adeò perfuſus eſt, ut minùs ſit legibilis. Ultima libri vigeſimi verba hæc ſunt: τὰ δὲ κεκώλυται. Comparavit hunc Codicem *Conſtantinopoli Augerius Busbeckius*, Imp. *Ferdinandi I*, ad *Solimannum* Turcarum Tyrannum Legatus, qui 1592 obijt. Scripſit ipſe, uti in alijs multis eximijs Codicibus Manuſcriptis Græcis, ita in hoc quoque propriâ manu tàm primâ, quàm ultimâ paginâ: *Augerius de Busbecke comparavit Conſtantinopoli.* Totus Codex conſtat folijs *trecentis ſeptendecim* in folio. Libro *decimo octavo* Antiquitatum Judaicarum, & quidem folio hujus Codicis *ducenteſimo quinquageſimo quarto*, extat præclarum illud *Joſephi* Teſtimonium de *Chriſto*: Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν Χρόνον Ἰησοῦς, Σοφὸς ἀνὴρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή &c; cujus *Euſebius Pamphili*, *S. Hieronymus*, *Iſidorus Peluſiota*, *Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus*, & *Suidas*, tanquam genuini, mentionem faciunt.

Secundus Codex,

INter *Hiſtoricos Græcos* Manuſcriptos *vigeſimus quartus*, itidem ac præcedens, chartaceus eſt, & continet *Hiſto-*

Hiſtoriam belli Iudaici à *decimi tertij* capitis Libri *primi* his verbis: πρεσβύτερος ἅπαντας διώκει, &c. uſque ad capitis *ſeptimi* libri *ſexti* hæc verba: τῷ Καίσαρι θαυμασιώτερον, οὔτε τοῖς. Cæterùm in hoc etiam Codice, æquè ac in præcedenti, tàm primâ, quàm ultimâ paginâ *Busbeckij* manu ſcriptum legitur: *Augerius de Busbecke comparavit Conſtantinopoli.* Totus Codex conſtat folijs *centum viginti ſex* in folio.

Tertius Codex,

INter *Hiſtoricos Græcos* Manuſcriptos *quadrageſimus octavus*, membranaceus eſt, & continet *Antiquitatum Judaicarum libros decem priores* cum periochis capitum cujuſque libri, & accuratâ ſupputatione temporis. Principium ejus ita ſe habet:

ΤΑ'ΔΕ Ε'ΝΕΣΤΙΝ 'ΕΝ ΤΗ͂Ι ΠΡΩΤΗΙ' ΤΩ͂Ν 'ΙΩΣΗ'ΠΟΥ 'ΙΣΤΟΡΙΩ͂Ν ΤΗ͂Σ 'ΙΟΥΔΑΙΚΗ͂Σ Α'ΡΧΑΙΟΛΟΓΙ'ΑΣ.

ΠΡΟΟΊΜΙΟΝ ΠΕΡΙ' ΤΗ͂Σ Ο'ΛΗΣ ΠΡΑΓΜΑΤΕΙ'ΑΣ.

α΄. Ἡ τοῦ κόσμου σύστασις καὶ ἡ διάταξις τῶν στοιχείων.

β΄. περὶ τοῦ γένους Ἀδάμου, &c.

Finito Indice capitum, novus ſequitur hic titulus:

'ΙΩΣ-

ΙΩΣΗΠΟΥ ΙΟΥΔΑΙΚΗΣ ΑΡΧΑΙΟΛΟΓΙΑΣ ΒΙΒΛΙΟΝ ΠΡΩΤΟΝ.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΟΛΗΣ ΠΡΑΓΜΑΤΕΙΑΣ.

Τοῖς τὰς ἱστορίας συγγράφειν βουλομένοις, &c.

Primus hic liber *novendecim* conſtat capitibus, ita ut *Procœmium* non habeatur pro *primo capite*. Suffragatur ergò hâc in re Codex hic manuſcriptus editioni latinæ Baſileenſi anni 1548. Nam in græcâ editione anni 1544 *Procœmium* eſt *caput primum*; uti & in editione latinâ Baſileenſi anni 1567. Cæterùm notatu dignum eſt, Indicem capitum, uti in impreſſis editionibus, ita etiam in hoc Codice MSto, cuiq; libro præmitti, in ipſo autem contextu nullum diviſionis librorum in capita extare indicium. Hinc enim elucet, diviſionis iſtius autorem non eſſe ipſum *Flavium Joſephum*, ſed ſingulos libros continenti ſcripturâ initiò comprehenſos fuiſſe. Finito Indice capitum libri ſecundi, hæc ſequitur notatio temporis, tanquam novus titulus:

ΠΕΡΙΕΧΕΙ Η ΒΙΒΛΟΣ ΕΤΗ ΔΙΑΚΟΣΙΑ ΕΙΚΟΣΙ.

Similis Chronologia extat etiam in ſuprà memorato Codice inter Hiſtoricos Græcos MStos *decimo quinto*; non tamen in principio, ſed in fine cujuſque libri. Fuit

egre-

egregius hic Codex membranaceus manuſcriptus primò quidem *Monaſterij Conſtantinopolitani in* (*) *Manganis*, ut teſtantur hæc verba recentiori manu paginæ ſecundæ folij primi inſcripta: Ἡ βίβλος αὕτη τῆς μονῆς τῶν μαγγάνων: deinde autem venit in manus cujuſdam *Dionyſij Zacynthij*, cujus pater illum ſibi comparaverat Conſtãtinopoli A. 1581, d. 11 Maij, teſte hâc inſcriptione: Νῦν δὲ Διονυσίου ἱεροδιακόνου καπλιανοῦ ζακυνθίου καὶ τῶν φίλων. Ταύτην τὴν βίβλον ὠνήσατο ὁ ἐμὸς πατὴρ ἐν τῇ Κωνσταντίνου πόλει κατὰ τὸ αφπα, μάιου ια. Tandem verò emit illum ſibi V. CL. *Joannes Sambucus*, Impp. *Maximiliani II.* & *Rudolphi II* Conſiliarius ac Hiſtoriographus: à quo eundem porrò ſibi comparavit V. CL. *Sebaſtianus Tengnagelius*, qui A. 1608 *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Præfecturam* adeptus eſt. Poſt hujus itaque præſtantiſſimi Viri mortem, quæ in diem *quartum Aprilis* anni 1636 incidit, cum alijs multis eximijs, & rariſſimis Codicibus MStis, propriâ ipſius manu notatis, hic quoq; *Flavij Joſephi* Codex in Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream tranſlatus eſt. Conſtat is *trecentis triginta ſex* folijs in folio.

(*) *De* Manganis *loco Urbis Conſtantinopolitanæ, qui inſtrumentis bellicis, & materijs mechanicis adſervandis inſervijt, conſulendus eſt* Georgij Codini *Liber de Ædificijs Conſtantinopolitanis, pag.* 38, *& numero marginali* 81 *editionis meæ* Pariſienſis *græco-latinæ in Magno* Corpore Hiſtoriæ Byzantinæ *in folio.*

Quartus Codex,

INter *Theologicos Græcos* manu-ſcriptos *centeſimus vigeſimus ſecundus*, membranaceus eſt, & continet Vitas Sanctorum Menſis *Auguſti*. In principio hujus Codicis extant tres Homiliæ ſive Orationes ſacræ, quæ *S. Joannes Chryſoſtomus Antiochiæ* habuit in honorem ac memoriam Sanctorum Septem fratrum *Machabæorum*, qui cũ matre ſuâ ſub Rege *Antiocho Epiphane Antiochiæ* paſſi ſunt, & tàm à Græcâ, quàm Latinâ Eccleſiâ Catholicâ *Calendis Auguſti* feſtâ ſolennitate coluntur. Prima incipit: Ὡς φαιδρὰ καὶ περιχαρὴς ἡμῖν ἡ πόλις &c. Secunda: Ἅπαντας μὲν οὖν ἐγκωμιάζαι &c. Tertia: Καὶ τοῖς μάρτυσιν ὁρῶν &c. Integræ extant græcè Tomo *quinto* Operum *S. Joannis Chryſoſtomi*, ab *Henrico Savilio Etonæ* in Anglia A. 1612 editorum in fol. à pag. 633 uſque ad pag. 641; græcè autem & latinè Tomo *primo* Operum *S. Joannis Chryſoſtomi*, à R. P. *Frontone Ducæo* è Soc: JESV *Pariſijs* A. 1621 editorum in fol., à pag. 581 uſque ad pag. 589, & à pagina 622 uſque ad pag. 628. His igitur tribus *S. Joannis Chryſoſtomi* orationibus ſubjungitur ibidem *Flavij Joſephi* εἰς Μακκαβαίους λόγος, ἢ περὶ τοῦ αὐτοκράτορος λογισμοῦ ſub hoc titulo: Μαρτύριον τῶν ἁγίων Μακκαβαίων ἐκ τῆς Ιωσήπου ἱστορίας. Principium ejus ac finis impreſ-

impreſſis editionibus congruunt. Incipit enim; Φιλοσοφώτατον λόγον ἐπιδείκνυσθαι μέλλων &c. deſinit autem, Ψυχὰς ἁγίας καὶ ἀθανάτους ἀπειληφότες παρὰ θεοῦ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Hunc quoque Codicem collatu digniſſimum comparavit *Conſtantinopoli* ſuprà memoratus *Augerius Busbeckius*, ut ipſe ſuâ manu ſecundi folij paginâ primâ teſtatur. Totus Codex conſtat *trecentis viginti* folijs in folio, quorum priora *triginta* & *unum* nunc tranſmitto.

Quintus Codex,

INter *Hiſtoricos Latinos* Manuſcriptos *primus*, membranaceus eſt, & continet *Antiquitatum Judaicarum libros viginti, ut & libros ſeptem de bello Judaico.* Eſt hæc antiqua illa verſio latina, quæ *Ruffino Aquilejenſis Eccleſiæ Presbytero* vulgò attribuitur. Totus Codex conſtat folijs *ducentis duobus* in folio; ſuprà memoratum autem Teſtimonium de *Chriſto* extat folij 123 paginâ primâ.

Sextus Codex,

INter *Hiſtoricos Latinos* Manuſcriptos *vigeſimus quartus*, membranaceus eſt, & continet variorum *Sanctorum Vitas ac Martyria*; inter quæ primo loco extat *Paſſio Sanctorum Machabæorum* ſecundum *Flavium Joſephum*, ſed ab homine Chriſtiano, qui eam la-

 tinè

tine vertit, passim interpolatam. Initium ejus hoc est: *Principium meum Philosophico quidem sermone, sed Christiano explicabitur sensu. Necesse est enim*, &c. De autore hujus translationis latinæ nondum mihi liquet, at certò constat, perantiquam eam esse, & ad indagandam contextus Græci sinceritatem plurimùm posse adjuvare. Totus Codex constat *centum octoginta quinque* folijs in 4to, quorum priora *viginti tria* nunc transmitto.

Septimus Codex,

INter *Theologicos Latinos* Manuscriptos *quadringentesimus nonagesimus septimus*, membranaceus est, & continet varia variorum autorũ opuscula; inter quæ ultimo loco extat Anonymi cujusdam *Epitome Antiquitatum Judaicarum Flavij Josephi* sub hoc titulo: *Incipit Liber Antiquitatis Flavij Josephi Historiographi*. Initium ejus hoc est; *In principio creavit* DEVS *Cœlum & Terram: sed dum terra ad aspectum non veniret, & profunditate tenebrarum celaretur, & Spiritus Dei desuper ferebatur*, DEVS *fieri lumen jussit. Quo facto*, &c. Totus Codex constat folijs *centum* & *uno* in 4to, quorum posteriora *octo* nunc transmitto. Folij ultimi paginâ secundâ extat suprà memoratũ Testimonium de *Christo*.

HI sunt, *Serenissime Princeps*, *septẽ* illi Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis *Codices Manuscri-*

nuſcripti, quos clementiſſimo S. Cæſ. Majeſtatis permiſſu ad promovendã Operum *Flavij Joſephi* novam editionem in præſens mitto; ſummoperè rogans, ne tàm inſigne beneficium Bibliothecæ Cæſareæ ac mihi ſit damnoſum, ſed ut jam memorati Codices tempore in Syngraphâ conſtituto debitâ fide ac diligentiâ reſtituantur. Quod porrò ad *impreſſas* Operum *Flavij Joſephi* editiones, quæ in eâdem Auguſtiſſimâ Bibliothecâ extant, attinet, eorum quoque Indicem, ſi fortè is deſideraretur, hîc ſubjungo:

1. *Flavij Joſephi Opera Græcè. Baſileæ typis Frobenianis A. 1544 fol.*
2. *Flavij Joſephi Opera, quæ extant, omnia; nempe Antiquitatum libri XX;*
   De bello Iudaico libri VII;
   Vita Joſephi ab ipſo deſcripta;
   De Antiquitate Iudæorum contra Apionem Grammaticum Alexandrinum libri II;
   De Machabæis, ſive de Imperio rationis liber I; græcè & latinè. Genevæ typis Petri de la Roviere A. 1611 in fol.
3. *Flavij Ioſephi Opera latinè edita à Roberto Goullet. Pariſijs typ. Ioan. Barbier, A. 1514 fol.*
4. *Flavij Ioſephi Opera latinè Ruffino Presbytero Acquilejenſi interprete. Baſil. typis Froben. 1524. fol.*

5. *Flavij Iosephi omnia, quæ extant, Opera latinè Lugduni apud Sebastianum Gryphium, A. 1546 tribus Voluminibus in 8tvo.*

6. *Flavij Iosephi Vita per Godefridum Tilmannum Carthusiæ Parisiensis monachum è græcis versa primùm & excusa Parisijs typis Michaëlis Fezandat, A. 1548 in 8tvo.*

7. *Flavij Iosephi Opera latinè edita à Sigismundo Gelenio. Basil. typis Froben. A. 1548. fol.*

8. *Flavij Iosephi Opera latinè edita à Sigismundo Gelenio, & in tres Tomos divisa. Lugduni apud Sebast. Gryphium. A. 1555 tribus voluminibus in 12mo.*

9. *Flavij Iosephi Opera latinè edita à Sigismundo Gelenio. Basil. typ. Froben. A. 1567.*

10. *Flavij Iosephi Opera omnia latinè, in duos Tomos distributa. Genevæ typis Jacobi Stoer, A. 1595 duobus Volum. in 12mo.*

11. *Flavij Iosephi omnia, quæ ad nostram ætatem pervenerunt, Opera latinè cum Chronologiâ, studio & industriâ Sigismundi Feyerabend. Francofurti typ. Joan. Bringeri. A. 1617. uno Volumine in 8tvo.*

12. *Giosefo de l' Antichità Giudaiche tradotto in Italiano per Pietro Lauro Modenese. In Vinegia appresso Baldassar Constantini. A. 1549 in 8tvo.*

13. *Di Fl. Giuseppe dell' Antichita de' Giudei libri XX tradotti per Francesco Baldelli. In Vinegia appresso Gio. & Gio. Paolo Gioliti de' Ferrari A. 1581 in 4to.*

Di Fl. Giuseppe della Guerra de Giudei libri VII; libri due contra Apione, e dell Imperio della Ragione, tradotti per Francesco Baldelli, in Vinegia appresso Gio. & Gio. Paolo Gioliti de' Ferrari A. 1581 in 4to.

14. *Les veynte libros de Flavio Josepho de las Antiguedades Iudaycas, y su Vida por elmismo escripta, con otro libro suyo dell' Imperio dela Razon, en el qual trata del martyrio de los Machabeos, nuevamente traduzidos de Latin en Romance Castellano. En Anvers en casa de Martin Nucio. A. 1554 in fol.*

15. *Los siete libros de Flavio Iosefo, los quales continen las guerras de los Iudios, y la destrucion de Hierusalem, y del templo, traduzidos por Iuan Martin Cordero. En Anvers, en Casa de Martin Nucio. A. 1557 in 8tvo.*

16. *Histoire de Fl. Iosefe traduite en François par François Bourgoing; partie en deux tomes. A Paris chez Claude Micard. A. 1573 duobus Voluminibus in 8tvo.*

17. *Histoire de F. Iosephe mis en François par Gilb. Genebrad Docteur en Theologie de Paris & Professeur*

seur du Roy es lettres Sainctes, & Hebraiques. A Paris pour Lucas Bruneau. A. 1604 in 8tvo.

18. *Flavij Josephi Opera germanicè edita à Casp. Hedione Argentorati typ. Balthas. Beck. A. 1535. fol.*

19. *Flavij Iosephi libri septem de bello Iudaico germanicè. Francofurti ad Moen. typis Christoph. Egenolfi 1552. fol.*

20. *Flavij Iosephi Opera germanicè edita à Conrado Lautenbach. Argentor. typ. Theodosij Ribelij, A. 1595 fol.*

Huc quoque pertinent

Nicolai Asclepij Barbati Periochæ & Argumenta librorum viginti Fl. Iosephi de Antiquitatibus Iudaicis, & septem de bello Iudaico, singulorum capitum summam singulis Tetrastichis complectentia, quæ unà cum Ducum, Iudicum & Regum Israëlitici Populi historicâ methodo, per Bartholomæum Stenum diligenter conscriptâ, in lucē prodierunt Coloniæ Agrippinæ typis hæredum Arnoldi Birckmanni. A. 1564, in 8*tvo:*

nec non

Triginta Epistolæ variorum Doctorum Virorum Historicæ & Philologicæ de Flavij Iosephi Testimonio, quod Christo tribuit libro XVIII Antiquit. Iud. cap. IV, collectæ & editæ à Christophoro Arnoldo:

noldo: Noribergæ typ. Michaël. & Ioan. Frid. Endterorum. A. 1661 in 12mo.

ET hactenùs quidem de *Flavio Iosepho*. Corollarij autē loco mitto hâc occasione *Librū primum Commentariorum meorum de Augustissimâ Bibliothecâ Cæsareâ Vindobonensi*, quem separatim ac quasi in antecessum edere properavi, ut omnibus illis Viris doctis, qui me de jam memoratæ Bibliothecæ præsenti statu crebris interrogârunt literis, unâ Epistolâ generatim responderem. Liber *secundus, tertius, quartus* & *quintus*, qui omnes jam ferè absoluti sunt, brevi, volente DEO, conjunctim sequentur. Interim nunc sub prelo fervet *Diarium* meū *Sacri Itineris ad* MARIANAM *Styriæ* CELLAM, quod Sacratissimus Gloriosissimusq; Imperator Noster LEOPOLDVS superiori anno CIƆ IƆCLXV, primùm quidem die XXVII Iunij suscepit irritè, posteà autē feliciter peregit à die XI Augusti usq; ad diē ejusdem mensis vigesimum. Viginti quaterniones jam sunt impressi, & totidē circiter adhuc supersunt imprimendi. Quo facto, subjicietur prelo *Diariū Itineris Oenipontani*, quod S. Cæs. Majestas adeundæ hæreditatis *Teriolensis* causâ eodē superiori anno prosperè confecit à die X Septembris usq; ad diē XV Novēbris. Pro Appendice annectetur huic Diario numerosus *Catalogus* variorū præstantissimorū *Codicū Manu-scriptorū*, quos in *Ambrasianâ Arce* repertos, cum alijs multis selectissimis libris

bris

bris *impressis*, per *Oenum* & *Danubium Vindobonam* tunc devexi, & in *Augustissimam Bibliothecam Cæsaream* transtuli. Comitabitur denique jam memorata duo Diaria editio *Relationis meæ ad S. Cæs Majestatem de Itinere Budensi*, quod cùm alias ob causas, tùm præcipuè propter reliquias *Bibliothecæ Regis Hungariæ Matthiæ Corvini* hoc peregi anno à die XXV Februarij usque ad diem XXIII Martij. Cumprimùm igitur horum Opusculorum impressioni ultima fuerit imposita manus, sequentur, ut suprà promisi, *liber secundus, tertius, quartus* & *quintus Commentariorum* meorum de *Augustissima Bibliothecâ Cæsareâ*, ad quos scribendos haud aliâ de causâ animum appuli, quàm ut Orbi erudito innotescat, quàm multa ibi latitent, quamque rara veterum Autorum monumenta manuscripta, quorum beneficio Res literaria in omni Facultatum, Scientiarum & Artium genere incredibiliter augeri possit & illustrari. Vale, *Serenissime Princeps*, & exiguum illud, quod hâc vice præstiti obsequium, æqui boniq; consule; simul etiam, si deinceps meruero, constanti favore me meaq; studia prosequi haud dedignare. Dabam *Vindobonæ* die XVII Augusti. A. CIↃ IↃC LXVI.

SVA
QVEMQVE SORS
MANET.